



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

Bona, Giovanni

Antverpiae, 1677

§. 7. Cur multi ex frequenti celebratione non proficiant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10805

exemplo in hac vita conformastis, vestris intercessionibus impetrate, ut vestra semper vestigia sequar, & ut ad scopum mihi propositæ perfectionis, ac tandem plenus meritis ad vestrum merear consortium pervenire.

CONCLUSIO

Exercitiorum post Missam.

Anima Christi sanctifica me: Corpus Christi salva me: Sanguis Christi inebria me: Aqua lateris Christi lava me: Passio Christi conforta me: O bone Jesu exaudi me: Intra tua vulnera absconde me: Ne permittas me separari à te: Ab hoste maligno defende me: In hora mortis meæ voca me: & jube me venire ad te: ut cum Sanctis tuis laudem te: In sæcula sæculorum. Amen.

Recedo à te modicum, Domine Jesu, sed non sine te, consolatio, felicitas, & omne bonum animæ meæ, & me amplissimæ dilectioni tuæ cum omnibus fratribus, amicis & inimicis meis humillimè commendo. Ama nos, Domine, & transforma quàm simillimè in te. Totus occuper in te, & propter te, nihilque sit objectum verborum actionumque mearum internarum & externarum, nisi tu amor meus. Qui vivis & regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen.

S. VII.

Cur multi ex frequenti celebratione non proficiant.

Cum multi sint Sacerdotes, qui frequenter, multi etiam qui quotidie celebrant; & nihilominus hujus vivifici ac divini Sacramenti admirabiles fructus non percipiunt, necessarium procul dubio est tanti mali causas investigare. Unde enim in cura salutis tanta tepiditas, tanta in studio perfectionis negligentia; cum dicat Chrysostomus, oportere nos ab hac mensa recedere Dæmonibus terribiles, & ignem omni ex parte spirantes? Si Deus noster ignis consumens est, veniuntque in terras suum ignem ferens, qui ardeat & omnium corda comburat, cur ipso intra nos recepto, nec frigus à nobis expellitur, nec ardorem ejus sentimus? Nonne mortis indicium est, vel gravissimæ ægritudinis ignem habere in sinu, & omni calore destitui? Si olim non potuit coram Arca Domini statua Dagon subsistere,

sed statim corruit & contrita est: cur Christi præsentia amoris proprii tyrannicè in anima dominantis Idolum non atterit & confringit? Cur tanta Christi demissio superbiæ spiritum non elidit? Cur tanta ejus mansuetudo iram non compefcit? Cur tantus amor ad ejus sequenda vestigia non impellit? Effectus Eucharistiæ sunt præservare à peccatis, augere gratiam, terrenorum odium infundere, ad æternorum amorem mentem elevare, illuminare intellectum, succendere affectum, conferre animæ & corpori puritatem, conscientia pacem & lætitiâ, atque inseparabilem cum Deo unionem. Plerique tamen post frequentem celebrationem his effectibus non fruuntur, ad quos nimirum spectat Aggæi Prophetæ objurgatio dicentis, *Comedistis & non estis satiiati: bibistis & non estis inebriati.* Defectus autem non in cibo & potu est, sed in prava edentis & bibentis dispositione. Et hæc prima tanti mali causa est, quia aliud comedimus, aliud esurimus: comedimus panem Angelorum, & immundorum animalium siliquas esurimus, deteriores Israëlitis, qui, dum manna comederent in deserto, ad ollas Egypti suspirabant. Quid igitur miramur, si fauces amaritudine infectæ mellis dulcedinem non percipiunt? Purganda est anima à delectationibus carnis & sensuum, à tepiditate, ab omni affectu ad creaturas, ut possit divinum Sacramentum suos in ea effectus operari. Nam cor terrenis occupatum delectatio Sancta declinat, nec datur divina consolatio admittentibus alienam.

Altera causa est ommissio necessaria præparationis: plerique enim ad tantum ministerium accedere non verentur perfunctoriè, ex consuetudine, ex motivo humano, lucri potius quàm devotionis causâ, non considerantes, quanti oneris sit vel semel celebrare. Cum vir Apostolici spiritus Johannes Avila quemdam Sacerdotio paulò ante initiatum immaturâ morte decessisse audisset, statim quæsit, num aliquando celebrasset: respondenti verò semel dumtaxat; Multum, inquit, deferret ante Judicem. Timere itaque oportet, quia nemo dignè Sacerdotio fungi, nemo hujus Sacramenti fructus percipere potest, nisi, quantum fert humana fragilitas, se ad illud disponat eâ puritate, amore, & devotione, quæ supra à nobis explicatæ sunt.

Tertia demum causa est, quia multi sacro peracto ad exteriora statim divertunt, nec sicut ut Sacramentum suam in eis virtutem exerceat.

E e

I R i

Isti revera gratiam Dei in vacuum recipiunt, nec de mensa cœlesti fructum reportant: quia tantum Dominum ad se venientem indignè excipiunt, nec referentur, aut gratias agunt, imò protinus ab eo recedunt ipsamque contristant, Majestatem ejus, & incomprehensibilem dignitatem parvi pendentes, nec advertentes quanta sit fœditas, vilitas, & miseria ipsorum, ad quos venire dignatus est. Quod si adhibita omni diligentia ad dignè & devotè celebrandum contingat, aliquem hujus convivii fructibus minimè perfrui, id admirabili sapientiæ Dei adscribendum est, qui hoc permittit, ut suæ industriæ non tribuat homo hoc gratiæ donum, sed cautè illud custodiat, & se illo semper indignum profiteatur.

C A P U T VII.

Praxis celebrandi, cum quis prolixius orare non potest.

§. I.

De Preparatione.

Quamvis humana negotia divinis functionibus nullo modo æquari, necdum præferri debeant: quia tamen sunt aliqui Sacerdotes publicis utilitatibus inservientes, qui necessariis & inevitabilibus occupationibus ita aliquando detinentur, ut prolixius orare nequeant, brevem illis & expeditam praxim proponere necessarium duxi, quâ uti possint, cum celebrare voluerint, ne minus dignè divinum sacrificium offerentes, ejus fructibus priventur. Hæc autem tria tempora complectitur, id quod Missam antecedit, id quo perficitur, & quod proximè subsequitur.

Ante Missam præmittenda præparatio duplex, remota & proxima. Pro remota hæc servanda. Vespere præcedenti cogitet, se die crastinâ hostiam salutarem omnipotenti Deo oblaturum, eique cogitationi indormiat. Addat brevem aliquem affectum reverentiæ, amoris, & desiderii. Sequenti die in eadem cogitatione & affectu evigilet; caveatque diligenter, ne animus ita se negotiis immergat, & ad externa dilabatur, ut, cum tempus celebrandi advenerit, ad se revocari & recolligi non possit. Proximè ante sacrum terrenis omnibus cogitationibus abjectis, omnique sepositâ rerum agendarum sollicitudine, mentem erigat ad cœlestia. Perpendat quâ devotione se sen-

tiat ad celebrandum incitari, quo sine moveatur. Conscientiam excutiat, & si aliquam ei maculam inesse deprehenderit, Sacramentali confessione eluat cum intimo doloris sensu, & firmo proposito emendationis. Tum breve aliquod tempus sumat, quo fidem mysterii excitet, charitatem accendat, passionem Domini commemoret, dirigat intentionem, & Dei opem sibi & aliis flagitet. Auxilium quoque B. Virginis & Sanctorum ferventer & humiliter implorabit. Horum actuum & affectuum formulas supra descripsimus c. 4. quas sibi quisque in brevissimas aspirationes redigere poterit pro suo capu & devotione.

§. II.

De Celebratione.

Missæ celebrationi tres comites adjunges, reverentiam, attentionem, & devotionem. Reverentia omnes motus exteriores componit, ut modestè graviterque fiant, præscriptis cæremoniis exactissimè servatis, summâque adhibita humilitate, quæ omninò necessaria est Hostiam immaculatam offerenti in conspectu Dei & Angelorum. Attentio mentem coërceat, & iis quæ aguntur assigat, ne ad alia defluat & evagetur. Devotio voluntatem inflammat, ne languidè & ex consuetudine sacra operetur, sed cum ingenti fervore, solertique studio Deum placandi & colendi. Quia verò animus parùm tenax recti facile distrahitur, quibusdam quasi vinculis adstringi debet, & in se retineri, qualia sunt à me supra proposita capite quinto, quæ ut ibidem notavi, brevitati Missæ nullum afferunt impedimentum. Sunt etiam aliqui, qui in septem veluti stationes Missam partiuntur, ut in singulis congruos excitent affectus, & renovent attentionem. Prima dicitur *Contritionis*, quæ ante gradus Altaris peragitur, ubi Sacerdos tanquam reus se summi Judicis tribunali corde contrito præsentat, & generali confessione noxas expiat. Secunda *Glorificationis*, quæ Missæ introitu, Angelorum cantico, & reliquis usque ad Epistolam continetur. Tertia *Doctrinæ* sive instructionis, quæ Epistolam & Evangelium complectitur, monita scilicet salutis à Prophetis, ab Apostolis & ab ipso Christo nobis tradita, & cum ingenti reverentia suscipienda. Quarta *Fidei*, quæ Symbolo absolvitur. Quinta *Oblationis*, Hostiæ salutaris oblationem continens, omniumque fidelium, pro quibus oramus & offerimus commemorationem.

Sexta